

De varicibus : theses anatomico-chirurgicae.

Contributors

Coquart, Jean-Baptiste.
Botentuit Langlois, Pierre Mathurin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p89hd87p>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



CELSISSIMO, POTENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO VIRO
LUDOVICO-MARIÆ-FLORENTIO
DUCI DU CHATELET D'HARAUCOURT,
REGIS ORDINUM EQUITI,
EXERCITUM PRÆFECTO GENERALI,
-PEDITUM COHORTIS PROTRIBUNO INSPECTORI,
GENERALI TULLENSIS PROVINCIAE GUBERNATORI,
NUPER APUD IMPERATOREM ET BRITANNIAE REGEM
LEGATO, &c.

DICAT, VOVET, CONSECRAT
OBSEQUENTISSIMUS JOANNES ANDREAS
COQUART.



CESSIMO, POTENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO VIRO
LUDOVICO MARIAE FLORENTIO
DUCI DU CHATELLET D'HARAUCOURT,
REGIS ORDINUM EQUITI,
EXERCITUM PRAEFECTO GENERALI,
PEDUM EORUM PROTECTORI INSPECTORI,
GENERALI TULLENSIS PROVINCE GUBERNATORI,
NUPER APUD IMPERATOREM ET BRITANNIA REGEM
LEGATO, &c.
DICAT, VOVEL, CONSECRAT
OBSERVATISSIMUS JOHANNES HARRIS
COQUART.



DE VARICIBUS.

THESES

ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

QUEMADMODUM in rerum universitate inter varia mundi corpora veluti catena animadvertitur, cujus annulis omnia continentur; ita in homine qui mundi compendium & verè microcosmus vario sub respectu dici possit, certus quidam observatur ordo, quo continuo & perenni nexu omnia conjunguntur, & amico fœdere consociantur. Varias corporis partes sedulus aspice; varia ejus organa perscrutare: tantam inter illas relationem, tam necessarium inter hæc consensum à summâ

A

rerum creatrice Naturâ institutum agnosces, ut nullum suis functionibus vel minimùm deesse possit, quin statim & alia quoque vitientur, majorque deindè vel minor subsequatur sanitatis depravatio. Quod cùm in variarum quæ in humano corpore peraguntur actionum exercitio ubique pateat, tùm præcipuè in circulatione animadvertitur. Vel minimum temporis momentum omninò cesset hæc functio; statim cessat vita quam cor per omne corpus, veluti motûs dispensator, spargere videtur. Sin autem aliquâ tantùm in parte interrumpatur, licèt accidentibus indè oriundis attentè Natura præcaverit, plurima tamen ingruunt mala. Hinc ex retardato venosi sanguinis cursu, versus inferiora præsertim Varices nascuntur: morbus quidem initio nullius ferè periculi, sed lapsu temporis ingravescens, & ita in pejus ruens negligentia, ut nî subveniat amica Chirurgi manus, ægrum ad perniciem deducere possit. De hoc dicturi malo, pauca quædam de venarum Anatomia præmittemus.

Systoles motu sanguis è cordis sinibus exprimitur, in arterias propellitur, arteriosum omne systema percurrit, & ad varias corporis partes deducitur: indè venarum radiculis resorbetur, à minoribus ramis in majores transit, ac tandem per cava & pulmonales venas ad auriculas cordis rursùs derivatur. Latex igitur purpureus & venarum & arteriarum cava alternis occupat, undè inter duplicem hunc vasorum ordinem, pariter continendo sanguini dicatum, maxima relatio, aliquâ tamen cum dissimilitudine, animadvertitur.

Venæ sunt, ut arteriæ, tubulorum cylindricorum & in singulâ quâque divisione decrescientium series, quorum basis in corde ponitur, apex in omni corpore, hîc ubi desinunt venæ, quærendus est. Variis utique membranis, minùs tamen quàm in arteriarum fabricâ conspicuis instruuntur; quippe quæ sint

longè tenuiores, debiliores, & in telam cellulofam faciliùs re-
solvantur. Aut potiùs nihil aliud ferè sunt istæ membranæ,
quæ pro distinctis habentur, quàm plures textûs cellularis lamellæ,
plùs minùsve condensatæ, quasque perreptant omnis generis
vasa. Musculares enim in venarum parietibus fibras agrè ad-
modùm demonstrari posse crediderimus; quod aliundè ratio-
cinio probatur, quandoquidem non iisdem, ut arteriæ, mo-
tibus gaudeant (1).

Arteriis ampliores & frequentiores sunt venæ, ut videre
est in corde, in pulmone, in artubus, &c. nec aliter esse
poterat; cùm enim lentior sit venosi quàm arteriosi sanguinis
cursus, pluribus è fontibus reduci debet, ut eadem liquidi
quantitas, eodem tempore dato, ad cor revehatur, sicque justum
in circulatione æquilibrium conservetur, quod vasorum con-
sensus juvat.

Multùm inter Physiologicos disputatum fuit an extremæ ar-
teriæ in subtilissimas venarum radices continuarentur, an potiùs
sanguis in textu quodam celluloso ab arteriis deponeretur,
minutissimis deindè venarum ramusculis resorbendus: sed
utrumque variis in corporis partibus identidem obtineri patet,
ac proindè utramque opinionem, sed neutram exclusivè am-
plectendam. Priorem enim manifestâ luce clariùs demonstravit
ars Ruischiana, quæ liquores in arterias injectione propulso per

(1) Non omnibus tamen motibus omnes orbantur venæ: cavæ nimirùm
à refluxu sanguinis subsiliunt: ubi vena arteriæ subjacenti propiùs inhæret,
in ejus motuum partem venire videtur, quòd simul sursùm deorsùmque
abripitur: tandem & alius quibusdam venis proprius est motus, respira-
tioni *isochronus*, à derivatione sanguinis in vasa pulmonum per inspira-
tionem magis pervia, pendens: sed hæc omnia à causâ venarum alienâ
produciuntur.

venas reduxit ; posterior in jecore, corporibus cavernosis, & alibi autopsiâ comprobatur. Ex venis igitur aliæ extremis inosculantur arteriis, aliæ in telam cellulosa[m] desinunt. Sunt quæ à vasis minoribus nascuntur, sunt quarum origo in intimâ quorundam organorum structurâ quærenda est. Aliæ tandem aut in corporis cavitatibus, aut in ejus superficie aperiuntur, ibique in vasa inhalantia desinunt, quæ liquores exhalatos resorbent.

Quò magis à corde distant venæ, eò numerosiores, ut in arteriis, computantur rami, quorum alteruter, post divisionem, communi trunco minor est quidem, sed quorum lumen simul sumptum trunci cavum exsuperat. Et proindè nedùm à latiori spatio in angustius per arterias subeat sanguis, nedùm in venas ab angustiori in latius propellatur, contrarium sæpè pronuntiandum est, quandoquidem collecta in unum extremarum seu arteriarum seu venarum lumina, & aortæ & cavæ capacitatem vincere evidenter constet. Nihilominus tamen æquabili forsan pressione & in majoribus truncis & in minutissimis arteriis sanguis conteritur : nam quò propior cordis arteria, eò vividiori ejus actionis impetui objicitur in eâ contentus sanguis, sed eò faciliùs, præ majori globulorum numero, vim arteriæ parietum in se redeuntium effugit. Contrà verò, si longiùs à corde distet, tunc minor quidem actio cordis, sed major relativè ad sanguinis in eâ contenti quantitatem, vis arteriæ judicanda est. Finge enim unicum tantùm hâc permeare posse globulum : nonne undequaque illum prement arteriæ parietes ? Nonne proindè in eum efficacius agere poterunt ? Ex hoc alterno cordis & arteriarum motu sequitur sanguinem singulo quoque momento ab alterutrâ harum potentiâ comprimi. Modò enim ventriculorum actione propellitur, modò arteriarum parietibus ulteriùs urgetur, qui succedentibus sibi vicissim sanguinis undulis dilatantur, & deindè innatâ irritabilitate in sese

redeunt. Sed duplex illa vis percussionis à corde, pressionis ab arteriis pendens, quam utramque patitur sanguis arteriosus, jam cessat omninò in venis; earum enim parietes nullâ contractilitate gaudent, & motus cordis ad venosum usque sanguinem continuatus, ferè totus emoritur. Fluit tamen in venas sanguis, & per eos canales eâdem quantitate ad cor revehitur, quâ propellitur per arterias. Quomodò igitur, duabus his cessantibus causis, idem semper effectus habetur? Venarum valvulis, arteriarum viciniâ, motuque muscolari hæc facilè solvitur quæstio. In singulâ quâque majorum venarum divisione interiùs animadvertuntur plicaturæ quædam, valvulæ (1) nuncupatæ, ita dispositæ, ut facilem sanguini in majores ramos aditum præbeant; refluxum verò in minores omninò prohibeant: appellente enim undâ sanguinis, ad venæ parietes adplicantur, & eâdem regrediente eriguntur, ad axim canalis accedunt mutuò, & ostia ramulorum penitus claudunt. Hinc pondus sanguinis in perpendicularibus truncis pro nihilo reputandum est. Valvulæ enim relabentes, ne superior sanguinis columna in inferiorem gravitet impediunt, usque dum ulteriùs progressa fuerit; deinceps protinùs iisdem ad venarum parietes adplica-

(1) In minoribus venis nullæ sunt valvulæ, nec immeritò. Multùm abest enim quin eadem sit circulatio in majoribus & in minoribus vasis. In illis eundem semper cursum sequitur sanguis, in his varias subit vices, itque reditque alternis per eadem vasa; quod frequentissimæ hîc anastomoses facilè permittunt, quodque prohibuissent valvulæ. In abdominis quoque venis, nempe in omni venæ-portarum systemate, & aliis, prorsus desiderantur: sed valvulis hîc suppletur musculorum abdominalium & diaphragmatis alterna contractio; uti videtur in cane cui, sospite vitâ, lato vulnere aperitur abdomen, cujusque venæ abdominales, sublato naturali hoc veluti cingulo, statim mirum in modum turgescunt.

ris, nova succedit sanguinis unda, quæ prioris locum obtinet: ita sanguinis progressui nihil non faver, eidemque regredienti obstant omnia; ita demùm auxiliatrices causæ, quæ, hâc sublatâ dispositione, parùm valerent, sanguinem jugiter ad cor reducunt (1). Auxilium autem illud adest in motu muscolari, in arteriarum viciniâ: inter musculos serpentes venæ eorum motibus agitantur, singulâ quâque vicinarum arteriarum systole & diastole subsiliunt, & ulteriùs semper promoventur purpurei laticis undæ. Variis igitur illis causis propulsi omnes venosi sanguinis rivi in truncos confluant lumine minores: ibi major resistantia, majorque proindè fluidi velocitas, uti videre est in amne cujus alveus prominentibus coercetur ripis, aut potiùs in salientibus hortorum aquis, quæ longè altiùs ex angustato quàm ex latiori luminis ostio protendantur. Undè consequitur sanguinem qui in arteriis vi percussione propellitur, motu tantùm progressionis venas percurrere.

Vidimus ex Anatomîâ quot naturalibus præfidiis adjuvetur sanguinis per venas cursus: nihilominùs sæpè fit ut variâ de causâ ibidem remoretur, nec ulteriùs progredi queat. Quod, si nullum in minoribus vasis incommodum affert, quòd undique pateant adaptæ multiplices anastomose viæ, quibus faciliè derivatur sanguis (2), in majoribus fieri nequit, quin pro sanguinis hîc retenti quantitate, & ejusdem stagnationis diuturniori vel breviori tempore, plùs minùsve sequatur mali. Proximum autem & frequentius judicandum est Varicum germinatio.

(1) Quanti momenti sit hæc ratio demonstrat ludicra & vulgaris experientia: cerealem spicam in inferiorem manicam, demissis aristis,ingere, & deindè variis indolge motibus; paulò post axillæ propior invenietur.

(2) Vid. not. superiorem, pag. 5.

Varix à Græcis *κίρως* nuncupatus, definitur præternaturalis
(1) venarum tumor, à sanguine ibi coacervato oriundus.

Licet in omni corpore nasci possint Varices, inferiores tamen partes sæpiùs aggrediuntur, & crura, femora, aut infimum abdomen præsertim infestant, quòd nimirum ibi lentius circulet sanguis, difficiliùsque, contra proprium ascendens pondus, ad cor revehatur. Enimverò, quantulacunque naturali earumdem partium dispositioni adjiciatur causa, brevi ingurgitantur, distenduntur venæ, stagnat sanguis, & Varices prodeunt. Hinc in gravidis, in obesis hominibus, in iis qui demissis pedibus assidue laborant, frequentissimi occurrunt. Hinc ubi primùm in hepaticâ seu abdominali portarum-venâ sanguis impeditur, turgescunt hæmorrhoidales venæ, quæ ad Varices referendæ sunt.

Essentiâ, situ, figurâ, causâ, tempore, &c. differunt. Alii enim simplices, alii complicati; pro simplicibus habentur recentes, qui parùm dolent tumentque, levemque partibus noxam afferunt. Complicati dicuntur quos comitatur virus internum, dolor acerbus, durities, hæmorrhagia, aut aliud quodvis accidens grave. Sunt qui rotundos, sunt qui oblongos tumores æmulantur: illi ab externâ, hi causâ ab internâ pendent. Alii recentes, alii à longo tempore intumescunt. Quidam symptomatici, quidam idiopathici; plerique tument tantùm, identidem tamen aperiuntur, & redundantem sanguinem emittunt, aut etiam semel aperti jam non clauduntur, & in ulcera mali moris abeunt. Quæ omnes Va-

(1) Propè valvulas nodosi sæpè exoriuntur tumores, qui ex naturali partium dispositione sequuntur; nec pro morbo habendi sunt, nisi ità increcant, ut sanguinis circuitum remorentur.

ricum differentiæ, ut vera curandi methodus eligatur, sedulò perpendendæ.

Multùm quoque tùm ad prognosim tùm ad curationem confert causarum cognitio; quas si curiosiùs investigaveris, multiplices esse agnosces. Ac primò quidem, proxima seu immediata erit sanguinis intrà venas congestio, quæ fit ex eo quòd nimio impetu hùc propellatur, aut quòd debiliores ibi venarum parietes ejus impulsu sustinere nequeant. Hìnc quidquid circulationem nimìò plùs accelerare, aut eandem quibusdam in partibus retardare, quidquid venarum resistantiam inæqualiter imminuere poterit, pro causâ remotâ seu prædisponente habebitur. Ex iis autem causis aliæ internæ sunt, aliæ externæ. Internis annumerantur Plethora & Cacochymia. Plethorâ redundat sanguis, violentiùs in vasorum parietes impingitur, qui tanto impulsui sustinendo impares, cedunt paulatim, dilatantur, amisso naturali tono in se redire nequeunt, & contentum sanguinem in varicosos tumores exfurgere sinunt. Magis etiam ad ejusmodi tumores procreandos efficax peculiaris alicujus partis plethora. Sic in graviditate, in obesitate nimiâ, non tantùm generalis adest sanguinis redundantia, sed ab inferioribus partibus ejusdem redditus retardatio, undè frequentissimi tùm suboriuntur. Varices procreat Cacochymia, quòd spissior sanguis in venis retardetur. Externas tandem inter causas recensentur ictus, lapsus, nifus violenti, contusiones, ligaturæ, compressio à tumore quolibet, à luxato membro, ab utero per graviditatem iliacas venas premente, &c.

Varices prodit tumor obscuro-niger, nodosus, inæqualis, venarum directioni insistens, mollis si recens, à confirmatâ vetustate indurefcens, qui nec pulsat nec dolet ut plurimùm, evanescit impresso digito, sublato resurgit, inferioresque potissimùm corporis partes aggreditur.

His

His ab omni alio tumore signis secerni possunt Varices sed varias quas suprà enumeravimus species inter se ordinare tam in promptu nobis videtur, ut propria cuique signa referre super-vacaneum foret; facillimè enim ex dictis simplices à complicatis, recentes ab inveteratis distinguuntur; & sic de cæteris erit.

Nullum plerùmque à Varicibus imminet periculum, ac proinde levioris momenti generaliter morbus pronuntiandus est. Nonnunquam tamen evenit ut funestum exitum habeant; quod ex eorum indole pendet. Varix simplex, recens, parvus, mollis, & ab externâ causâ oriundus, facili negotio curatur, aut cessante causâ, sponte evanescit (1). Contrà, complicatus, inveteratus, latè diffusus, indurescens, vitio quolibet aut perenni productus causâ, omnem quandòque sanationem respuit. Sunt etiam quos præ morbi diuturnitate aggredi nefas foret, quique ut gravioris morbi prophylaxis sedulò conservandi. Tales sunt quos critici morbi effectus esse judicaveris. Tandem, ut experienciâ constat, in juventute & adultâ ætate faciliùs, in senectute vix ac ne vix quidem sanantur.

Ut prognosis, ità curatio ex peculiari Varicum specie instituenda. In casu simplici ad sanationem sæpè sufficit corroborantium, adstringentium usus. Si crura aggrediantur, noctù diùque induentur tibialia è caninâ pelle confuta, seu perones ex quolibet duriori panno confecti, & ligulâ alternis hinc & inde foraminulis anteriùs insertâ adstricti. Debilitatum naturalem vasorum tonum supplet hoc Artis cingulum, & paulatim in pris-

(1) Sic Varices qui ex graviditate nascuntur, post partum, nullo adhibito remedio, spontè dilabuntur; utero enim vacuo, nec jam iliacas premente, sanguinis regressui nihil obstat, & venarum olim dilatatus in se redit canalis.

tinum statum redeunt venæ. Situs partis idoneus ad curationem quoque maximè necessarius; & talis erit qualis ad regressum sanguinis promptior videbitur. Sic in crurum Varicibus multum proderit, si assidue lectulo decumbat æger, aut ita sedeat, ut pedes femoribus altiores habeat. Quædam etiam alia non omittentur, ut victus tenuis, potus diluentes, ac præsertim frequens sanguinis missio, quæ utique sanationi plurimum favet. Si vitium quodvis adsit internum, propriis mediis ritè debellandum erit; quandiù enim aliquo sanguis morbo inficietur, nihil unquam proficiet localis, uti vocant, mali curatio.

Hæc est eligenda curandi methodus, ubi propriam elasticitatem, naturalemque tonum nondum omnino amiserunt venæ. Sin autem mirum in modum intumuerunt, & rupturam minitantur; si tanta est earum parietum dilatatio, ut jamjam in sese redire neutiquam possint; si dolores sint acerrimi; si tumor indurescat; si in carcinoma aut mali moris ulcus mox abiturus videatur, frustra tentarentur quæ modò suavisimus; & ad efficaciorum Chirurgiam confugiendum est, quæ varia itidem offert præsidia, incisionem nempe, resectionem & aduersionem. Incisio *χιρτοτομία* Græcis dicta, sic instituitur: per admotum phlebotomum inciditur Varix, crassoque sanguine ad oculo vel duodecim uncias, pro vario ægri habitu emissio, linamentis carptis gnaviter plaga contegitur, fasciâ decenter superinjeclâ (1). Deindè varicæ cautiones quas superius præscripsimus, sedulo adhibebuntur. Operosa magis resectionis methodus; sed in gravissimo casu unica superest salutis anchora. Tunc igitur cutis super tumorem inciditur, vena distenta undique à cellulosa telâ & vicinis partibus expeditur, &

(1) Heist. Inst. Chir. p. 1102.

filo tùm supra morbum, tùm infrà constricta, inter utramque ligaturam rescinditur (1). Aduftio duplici modo, vel actuali vel potentiali cauterio peragitur, quam sic celebrandam præcepit Celsus lib. 7 cap. 31. Cutis super inciditur. Tùm patefacta vena tenui & retuso ferramento candente modicè premitur, vitaturque ne plagæ ipsius oræ adurantur. Hanc methodum ut potè crudeliorem prorsus rejicimus; potentiale tamen cauterium in minoribus Varicibus, qui nullo alio modo curari possent, (sed debitis semper adhibitis cautionibus) tentandum non negamus. Quidam tandem sunt Varices qui vel præ majori mole, vetustate & numero, vel quia majus malum arcent, (2) neutiquam, ut diximus, sanandi sunt. Satisque se fecisse putabit Chirurgus, si generalia tantùm præscripserit remedia, & quidquid sanguinis impetum augere posset, accuratè præcaverit.

(1) Heist. ibid.

(2) Ex Varicibus suppressis maxima nascuntur aliquandò accidentia. Vid. Hypp. sect. 6. aphor. 21. Galen. comment. 6. in libr. 6. Hypp. Experienciâ constat multos imprudenter ex Varicibus sanatos gangrenâ tabuisse. Vid. Guy de Chauliac, t. I. p. 1551, &c.

HAS THESIS, Deo juvante, & præside M. PETRO-MATHURINO BOTENTUIT LANGLOIS, Artium & Chirurgiæ Magistro, scholarum Moderatore, antiquo scholæ practicæ Professore, Regiæ Chirurgorum Academiæ Socio, in Supremo Senatu Patrono, tueri conabitur JOANNES-ANDREAS COQUART, Parisius, in almâ Universitate Parisiensi Ar-

*tium Liberalium Magister, nuper in magno Parisiensi Noso-
comio, dicto l'Hôtel-Dieu, Chirurgus internus, in Facultate
medicâ Universitatis Valentini Doctor, Theses Auctor.*

*Die Sabbati 9^a mensis Septembris, anno 1786, à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.*

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.

**Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii, necnon Academiae Typographi, viâ Cythareâ.**

M. DCC. LXXXVI.